

vel lumen, vel aliud hujusmodi, cui tamen esse non confert. »

Deinde probatur ratione, quia formalis ratio, qua Angelus existit in loco debet esse talis, quod non contineatur, nec mensuretur corpore locante, sed quod contineat corpus, et fundet ubi, non circumscriptivum, nec subjectum legibus loci, et extensionis, sed superius loco, sicut anima nostra est in corpore ut superior, et continens illud: sic enim a fortiori debet Angelus esse in corpore, seu in loco, superiore modo quam anima scilicet non ut informans, sed ut motor. Tale autem fundamentum, et ratio habendi contactum non est sola substantia Angeli propter rationem supra dictam, quia si substantia Angeli unitor corpori locanti a se distincto, et unio accidentaliter est, oportet fundari in aliqua ratione accidentali superaddita substantiæ: corpus autem cui Angelus conjungitur tamquam loco, substantia est. Non ergo potest substantia Angeli illi uniri, nisi mediante aliqua accidentali ratione qua accidentaliter comparetur ad tale corpus. Non potest autem fundari in aliquo accidente ipsius Angeli per se, et formaliter commensurabili corpori, quia hoc esset quantitas: nec enim alio accidente commensurabilis est formaliter quantitas corporis locantis. Debet ergo esse accidens virtualiter commensurans Angelum corpori. Nec est alia virtus sic commensurans, quam virtus operativa, vel receptio passiva ab alio operante. Et horum omnium ratio est, quæ jam supra est insinuata, quia Angelus est substantia completa. Unde non potest uniri accidentaliter alteri, nisi vel tamquam causa effectiva operatione sua, vel tamquam subjectum accidenti, vel sicut ea quæ commensurantur quantitate, ut vestes corpori, locus locato, vel ea quæ

loco appropinquant, ut plura quæ in acervo conjunguntur, quæ est conjunctio locorum. Per commensurationem quantitatis, vel distantiam localis Angelus non unitor loco, quia caret quantitate. Nec tamquam subjectum accidenti, quia corpus non subjectatur in Angelo, nec e contra: ergo ut efficiens passo, vel passum agenti.

Nec sufficit operatio immanens, quia hæc solum potest esse in Angelo per intellectum aut voluntatem; operatio autem intellectus, et voluntatis compatitur cum absentia rei circa quam versatur, nec requirit physicam præsentiam objecti, sed intentionalem, cum possimus intelligere, et amare rem absentem. Et dato quod intellectio versetur circa rem præsentem, ut quando est intuitiva, tamen adhuc non ponit in ipsa re nisi denominationem extrinsecam, qua res redditur visa, quod non pertinet ad constituendum formaliter rem in loco, sed supponit esse præsentem localiter. Requiritur ergo ad istam conjunctionem, et contactum virtuales aliqua operatio transiens, vel passio a tali operatione proveniens, quia in hac concurrunt conditiones requisitæ ad rationem formalem existendi in loco. Nam primo requirit præsentiam, saltem in ea parte immediata, unde incipit motus. Secundo, operatio Angeli est superior ad corpus cum sit actio rei spiritualis, vel si Angelus alligatur corpori, manet illi subjectus, non per commensurationem ad ejus quantitatem, sed per subjectionem ad actionem corporis, ut instrumenti divini. Tertio, commensuratur Angelus virtualiter rei extensæ manendo indivisibilis in se, quia subicit sibi corpus tamquam superior illo in agendo plus vel minus secundum efficaciam suam, sicut anima commensuratur extensioni rei corporis, subjiciendo illud sibi

per informationem: ergo habet omnes conditiones, ut resultet ubi spirituale, et habeatur contactus quo indivisibilis substantia extenso corpori sit præsens plus vel minus juxta virtutem, et efficaciam operationis suæ, ut etiam articulo tertio ponderabitur.

XXI. Ex quo colligitur, quomodo non sola virtus Angeli possit esse actualis sine operatione, quæ aliquo modo conjungat spiritum ipsum loco. Nec dico, quod operatio solum se habet ut applicans, virtus autem Angeli ut ratio, qua habetur contactus, sed operatio ipsa se habet ut applicatio suæ substantiæ a qua exit, ut formalis ratio actualis tangendi corpus, seu locum, sicut si quantitas esset activa in tangendo alterum corpus, non tangeret entitative, ut sic dicam, sed operative, et operando tangeret, seque applicaret. Quod colligitur ex duobus.

Primo, quia in sententia D. Thomæ articulo tertio hujus quæstionis LII, ideo non possunt plures Angeli esse in eodem loco, quia virtus Angeli tangit locum per modum continentis perfecti: unde cum non possint plures causæ completæ, et perfectæ operari circa eandem rem, nec etiam poterunt plures Angeli esse in eodem loco: quæ ratio nihil probat, si operatio ipsa solum se haberet ut applicatio virtutis, non ut formalis ratio existendi in loco: nam si operatio solum se habet ut applicatio, posset responderi quod causæ completæ operantes in actu, et applicatæ repugnant quidem respectu ejusdem effectus, vel passi, sed operantes virtualiter, seu in actu primo tantum non repugnant, nisi solum quando operantur in actu. Et sic si operatio se habet ut applicatio, et virtus ipsa ut in actu primo applicata est ratio formalis existendi in loco, possent duo Angeli esse simul in eodem loco, si ap-

plicarent virtutes suas ad locum, non autem operarentur effectus, sicut si homo applicaretur alicui loco, non tamen operaretur circa illum. Tota enim repugnantia plurium causarum circa eundem effectum est ex operatione, non ex applicatione virtutis. Quare si ratio illa probat non posse plures Angelos esse simul in eodem loco, oportet quod formalis ratio non sit sola virtus applicata, sed etiam operatio, quia ex operatione formaliter sumitur repugnantia operandi eundem effectum, et consequenter existendi plures Angelos in eodem loco: illa est autem formalis ratio existendi in loco, unde sumitur repugnantia coexistendi cum altero, et causandi cum altero.

XXII. Secundo, idem colligitur quia Angelus potest intra spheram suæ virtutis esse in majori, vel minori loco, ut asserit S. Thomas in hac quæstione LII, art. II, et dicemus sequenti articulo et constat, quia Mare. V dicitur fuisse in uno homine legio dæmoniorum: et cum quilibet possit Angelus majus spatium occupare quam anima humana, quæ est illi inferior, oportet quod si in uno homine erat legio dæmonum occuparent minorem locum quam possent occupare: virtus autem Angeli non potest minor esse, vel major in se, bene tamen operatio ejus circa corpus potest versari, et applicari circa majus, vel minus spatium: ergo ipsa operatio, et non solum virtus est ratio formalis existendi in loco, ut possit contrahi, vel extendi talis assistentia Angeli ad locum, sicut in anima nostra ipsa actualis informatio est ratio formalis habendi præsentiam ad corpus, et non solum substantia ut potens informare, ideoque aliquando anima informat exiguum corpusculum, ut in infantia, aliquando majus juxta actualem capacitatem,



et informationem, quæ est ratio habendi istam præsentiam, et contactum informativum ad corpus: ita Angelus qui est forma non informans corpus, sed operans in illud, per ipsam operationem majori vel minori corpori redditur præsens secundum quod incipit a majori vel minori parte. Ubi advertite posse Angelum diffundere virtutem suam ad effectus faciendos, etiam ultra locum, ubi adest, licet substantia non sit præsens toti illi corpori, sicut Angelus movens cælum non est in toto cælo, sed in una parte, unde motum diffundit. Et ita S. Thomas in hac quæstione LII, art. I dicit quod: « Totum corpus cui per virtutem suam applicatur Angelus, correspondet ei ut unus locus, eo quod non applicatur virtus ejus nisi ad id quod primo movetur ab ipso. » Et de anima Christi Domini dicit D. Thomas III p. q. LII, art. II, quod: « In aliqua parte inferni fuit per suam præsentiam, substantiam, in aliis per operationem seu effectum, » eo quod substantia fuit in aliqua parte immediate, in aliis mediate, id est, per effectus suos. Intellegimus ergo quod quando Angelus operatur in corpore per actionem transeuntem, cum illa actio, ut poteeductiva, non possit operari nisi dependenter a corpore, et consequenter debeat conjungi corpori a quo immediate educit effectum ibi adest tota virtus, et substantia Angeli, unde primo incipit ejus operatio transiens, quia ubi primo incipit operatio, oportet quod sit virtus, et principium a quo immediate effluit, et consequenter etiam passum a quo educit suum effectum. Cum ergo virtus sit indivisibilis ex parte Angeli, dicitur applicari toti illi corpori quo primo utitur ad elicentiam actionis, sicut anima applicatur toti illi corpori quod informat et vivificat. Et sic subjectio cor-

poris ad virtutem indivisibilem Angeli, et ad operationem ejus, ut primo exeuntem a virtute, et substantia Angeli, et simul a corpore a quo educit effectum, est ratio quæ constituit contactum spiritualem seu virtuales Angeli. In corpore autem ulteriori, per quod diffundit suam virtutem post primam elicentiam operationis non ponitur præsens substantia Angeli per se, et immediate, sed mediate, id est, mediantibus effectibus suis. Ad immediatam autem præsentiam virtus operativa præbet fundamentum, quia præbet quantitatem virtuales, id est, virtutem potentem tangere corpus, et actu se coaptantem tanto, vel tanto corpori, quatenus ipsa ratio agendit fundat præsentiam ad passum per modum formæ continentis active ipsum, non rei contentæ, et circumscriptæ a loco cui unitur.

Quare contactus Angeli virtualis non habet pro ratione formali, et fundamento aliquid antecedens virtutem operativam, et ejus operationem, sed eadem Angeli operatio procedat a forma, seu virtute agenti independente a commensuratione cum loco, nec loco subjecta, sed quæ subicit sibi locum, oportet quod contactum faciat operando, id est, subjiciendo sibi locum, seu passum unde operetur: non subicit autem nisi agendo; sed illa operatio respicit duos effectus. Primus est subjicere sibi passum conjungendo illud sibi ut formæ agenti independenti ab ejus commensuratione. Secundus est ipse effectus quem ex tali passo educit. Et ponimus primum effectum ea necessitate, quia spiritus est forma pure agens in corpus, non substantia illi commensurata, unde non nisi agendo illud sibi unit, et subicit, et sic tangit operative, non quantitative, seu commensurative.

Etsi dicas: Quid facit in corpore per hunc contactum, respondeo ponere corpus applicatum, seu unitum sibi vel ut ex eo agat in tanto, vel tanto spatio, vel parte: in applicatione enim passi ad agens duo inveniuntur. Primum indistantia localis, et commensuratio utriusque in loco. Hanc non habet spiritus. Secundum, est coordinatio, et subjectio ad agens, ut ex illo agat, per quod ponit ordinationem, seu modum quemdam, et subjectionem passi ad effectum ex illo educendum; sicut virtus fœminæ subicitur virtuti masculi, non solum localiter, sed causative ordinando illam ad effectum. Hoc secundum causat contactus virtutis Angeli in corpore, deinde educit effectum.

XXIII. Secunda pars conclusionis, scilicet quod Angelus modo præternaturali possit esse in loco per passionem, et non per operationem constat, quia aliquando alligatur alicui corpori per operationem superiorem sive a Deo inferente illi torturam per ipsum corpus tamquam per instrumentum, sive ab alio superiori spiritu, sicut supra diximus ex illo loco Tobie octavi, ubi dicitur, quod: « Angelus Raphael alligavit dæmonium in deserto superioris Ægypti: » sed tamen Angelus tunc non est connaturaliter in loco, sed præternaturaliter, seu violente, sicut anima non est connaturaliter nisi in corpore quod vivificat et informat; extra illud vero est præternaturaliter, aut violente. Unde Cajetanus in hac quæstione LII, art. III, docet Angelos naturaliter locari in loco per operationem, dæmones vero per pati potius quam per agere. Sed de hoc plenius agemus infra circa quæstionem LXIV, tractando de pœna dæmonum per ignem: hanc enim fere semper explicat nobis Scriptura per modum alligationis, et detentionis qua dæ-

mones cruciantur in illo igne ut II Petri II: *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: et in Canon. Judæ: *Vinculis æternis sub caligine reservavit*: et Actorum II: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Quomodo autem possit corpus alligans Angelum ex tali contactu producere in eo ubi spirituale? Dicitur hoc ideo esse, quia agit ut instrumentum Dei, vel superioris virtutis, quæ tali instrumento utitur ad ponendum in Angelo aliquid spirituale ut ibi dicemus; unde ex tali effectus spirituali posito in Angelo ab aliquo corpore, ut instrumento divinæ virtutis resultat in Angelo virtualis contactus passivus ad illud corpus, cui tamquam instrumento alligatur a Deo Angelus, et producit in illo effectum illum spirituales, si quidem ille spiritualis effectus habet ordinem ad instrumentum corporeum a quo fit, et non potest habere contactum cum illo corpore, nisi virtuales, in quantum est effectus spiritualis a tanto, vel tanto instrumento factus, et illi alligans spiritum, quia ad hoc fit ille effectus, ut Angelus alligetur corpori, et non possit uti suis potentiis, ut voluerit; et ideo ad tantum corpus habebit contactum virtuales, Angelus ad quantum fuerit alligatus per illum effectum passive receptum in Angelo; et sic non correspondet corpori per commensurationem, sed per virtuales contactum spiritualis effectus subjicientis, et alligantis Angelum tanto, vel tanto corpori, ut impeditivo suarum operationum quatenus est instrumentum Dei. Quis autem effectus sit ille quem ignis ponit in Angelo quando torquetur, vel detinetur a corpore, dicemus infra disputatione XXIV.

XXIV. Dico ultimo: Ex contactu virtuali, seu spirituali Angeli ad lo-